



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disp. XXIV. De Causa efficiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

cur. Quam definitionem alij sic explicant, exemplar est forma quam effectus imitatur, ex directione agentis sibi determinantis finem. Unde, quæ omnino cognitione carent, operari per exemplar non possunt, sicque flores, vel folia in eadem arbore, vel horto, licet crescant sibi simillima, sequæ perfectissimè referant, non tamen operantur per se invicem tanquam per exemplar. Bruta verò, sicut propriè non operantur propter finem, quia convenientiam inter media, & finem propriè non discernunt, nec illa quæ talia, ad finem quæ talem conferunt; sic ex defectu ejusdem cognitionis non operantur per exemplar, licet lato quodam modo per illud operari dici possint, ut cum simiæ inspiciendo humanas actiones, illas imitantur, & ad amissum exprimunt.

repræsentante lineam, quam ducit.

Quæres an Deus operetur per exemplar? quod aliis verbis proponi solet, utrum in Deo sint Idææ? Resp. affirmativè: Deus enim, utpote artifex omnium peritissimus, res ipsas faciendas perfectissimè præconcepit, sibi quæ distinctissimæ repræsentat, earumquæ inspectione ad illarum productionem dirigitur: juxta illud Boëtij

Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similiq, ab imagine formans.

Utrum autem exemplar sit actus ipse intellectus repræsentans objectum, an objectum ipsum repræsentatum, controversa est de modo loquendi, quam proinde miror nonnullos tam operosè discutere. Mihi congruentius, & ad exemplaris naturam accommodatius loqui videntur, qui objectum ipsum dicunt esse ipsum exemplar, hoc enim ostendit definitio exemplaris supra ab Aristotele posita, Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur. Utrique tamen in suo genere convenit ratio exemplaris, unde cognitio exemplar formale dicitur, objectum exemplar objectivum.

Differt exemplar à fine, quòd finis moveat ad consecutionem sui, exemplar verò solum dat occasionem, ut aliquid ad imitationem ipsius fiat; unde tota causalitas exemplaris, seu actuum circa exemplar peragitur in solo intellectu, non in voluntate, quod tamen est maximè proprium finis, ut sc. moveat voluntatem ad amorem, & consecutionem sui.

Reliqua de causâ exemplari, nempe quomodo dirigat, & utrum efficienter concurrat, tractavimus in Logicâ, cum de actu pratico & speculativo, & disp. ultimâ præcæmialî, utrum sc. Logica concurrat efficienter, an solum directivè ad actus aliarum scientiarum.

IV.

Deus operatur per exemplar.

V.

Objectum & actus illud repræsentans constans unum exemplar.

VI.

Quomodo exemplar differat à Fine.

VII.

III. In operante per exemplar quatuor reperiuntur.

In operante propriè per exemplar, ut cum pictor aliquis, leonis imaginem intuens, aliam ei similem delineat, quatuor reperiuntur: objectum externum quod intuetur pictor, cognitio illius objecti, alia cognitio ex cognitione prioris orta repræsentans objectum, seu imaginem faciendam, & quartò imago ipsa, seu opus externum, quod artifex molitur. Primum objectum dicitur propriè exemplar, utpote ex cujus inspectione occasio sumitur novam imaginem depingendi, cognitio tamen prima quæ vocatur exemplar formale, est solum speculativa, ut dixi in Logicâ, cum feratur in objectum tantum ut factum. Secunda autem cognitio quæ repræsentat imaginem faciendam, est practica, hæc enim sola est, quæ dirigit propriè, & immediatè operantem; alia verò, quæ sc. repræsentat exemplar, solum dirigit remotè & occasionaliter, quatenus sc. ex occasione exemplaris per eam repræsentari, determinatur intellectus ad cognitionem, & repræsentationem imaginis, quam operans intendit depingere; quando enim pictor ducit hanc vel illam lineam, licet quidem remotè excitetur ab imagine quam intuetur, sive ab exemplari, immediatè tamen dirigitur ab actu

DISPUTATIO XXIV.

De Causa efficiente.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit causa efficiens.

I. Sermo est de creatâ.

Sermo est de causâ efficiente creatâ, de Increata enim suppono pro præsentari dari, quod in Metaphysica d. 12. quæstione ad hanc ipsam rem peculiariter institutâ, ostendam.

II. Negabant aliqui causas creatas quidquam agere.

Quidam apud Albertum Magnum hic, tractatu 2. c. 3. & S. Thomam 1. p. q. 105. a. 5. corp. negarunt causas secundas quidquam omnino facere, sed solum Deum in præsentia ignis producere ignem, in præsentia caloris calorem, in præsentia solis lucem, & sic de cæteris: in rebus autem creatis nullam aiebant esse virtutem rei ullius effectricem. Quam sententiam, inquit Conimb. hic c. 7. q. 11. a. 1. ab inferis revocare velle videntur Aliacensis in 4. d. 1. q. 1. & Gab. d. 2. q. 1. & 3. Hujus opinionis meminit Averroës c. 9. Met. comm. 7. & c. 12. com. 18. ejusque assertores air debilis esse cerebri. Quam etiam sententiam hodie Philosophi omnes merito rejiciunt ut improbabilem.

III. Certum tamen est causas creatas

Causas ergo secundas aliquid verè & physicè operari est manifestum: quia certum est liberum arbitrium aliquid operari, & actus producere. Quod;

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

præterquam quòd definitum sit à Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. ubi damnat erroris illos omnes qui dicunt liberum arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passivè, & mortuo modo, probatur ulterius, quia alioquin homines nec peccarent, nec mererentur, sicut enim si Paulus aliquid laude dignum præstet in præsentia Petri. Petrus propterea non meretur laudem, ita nec si Deus opera illa producat in ejusdem præsentia. Deinde, ubique in Scripturâ ascribitur efficiencia rebus creatis: videte ficulneam & omnes arbores cum producunt jam ex se fructum, Luc. 21. v. 29. lignumq, faciens fructum secundum speciem suam, Gen. 1. v. 12. & infinita hujusmodi.

verè & physicè operari.

Præterea, quando equus currit, quis dicit equum tunc nihil facere, sed Deum solum ad præsentiam equi motum illum producere? Imò, cur tanta quibusdam rebus datur membrorum, & organorum diversitas, nisi ut illis ad varias functiones utantur? Quare etiam non æquè producit Deus calorem ad præsentiam frigoris, atque ad præsentiam caloris? Dices; quia est major affinitas & similitudo inter calorem & calorem, quam inter frigus & calorem. Contrà, cur ad præsentiam albedinis non producit albedinem: cur etiam non producit lucem ad præsentiam frigoris? cum tanta sit similitudo inter frigus & lucem, atque inter lucem & calorem; aut cur

IV. Varia organa, ac dispositiones in viventibus arguunt eos verè agere.

non æquè producit Angelus Angelum, ac homo hominem?

V. Diversis experientis deprehendimus causas secundas operari.

Cum ergo videamus semper præsentè & applicato igne, produci calorem, & ignem, non frigus, præsentè nive frigus, nunc calorem, præsentè sole lucem &c. colligimus hæc & alia agentia vim habere productivam horum effectuum, & non aliorum, ac proinde causas secundas, seu creatas habere veram virtutem effectivam aliquorum effectuum.

VI. Causa efficiens inter causas primas.

Quoad secundum in titulo propositum, Aristoteles hic tex. 29. & 5. Met. t. 2. sic causam efficientem definit: Causa efficiens est unde principium primum mutationis, & quietis: per ly Principium convenit cum aliis causis: Primum intelligitur dignitate, quia scilicet causa nobilissima, unde à nonnullis sola causa efficiens vocatur causa. Licet autem finis sit aliquando entitativè æquè, vel magis nobilis quàm efficiens, imò idem aliquando cum efficiente, adhuc finis est solum causa intentionalis, non physica, nec physicè & realiter influens, ac proinde in ratione causæ est inferior causæ efficiente. Imò causa efficiens viâ executionis est aliquo modo prior aliis, nam hæc causalis aliquo seu su est vera, quia efficiens agit, materia patitur, non è contra quia materia patitur, efficiens agit. Ly unde, licet si latè sumatur, conveniat omni principio, sicut propter convenit omni causæ, sicut tamen propter strictè sumptum convenit soli causæ finali, ita & unde strictè sumptum convenit soli efficienti, & denotat influxum extrinsecum. Particula mutationis, si strictè sumatur, limitat causam efficientem ad solas generationes & mutationes naturales, & non convenit causæ creati præsertim si aliquid creatum fuisset ab æterno: quod tamen non est mirum, cum creatio Aristotelem latuerit. Ultima particula quietis addita est ab Aristotele, ut denotaret causam res omnes, non tantum primò producere, sed etiam conservare. Aliis tamen verbis explicatiùs tradi posset hæc definitio si diceretur, Causa efficiens est principium per se influens esse in aliud, præscindendo à mutatione sui. Quæ definitio est eadem, & eodem modo explicari debet, quo illa quam posui d. 22. f. 1. concl. 3. ubi differentiam assignavi in modo causandi inter causam efficientem & materialem.

Creatio latuit Aristotelem.

Definitio causa efficiens.

Dividitur causa efficiens primò in creatam, & increatam. Secundò, in universalem, & particularem: illa est, quæ universali quodam & communi modo ad varios effectus cum causis quibusdam particulariis concurrat, ut sol, cælum, &c. unde Deus causa dicitur universalissima, quia concurrat cum omnibus. Reliquæ causæ divisiones positæ sunt suprâ d. 21. f. 4.

VII. Divisiones cause efficientis. Deus causa universalissima.

SECTIO II.

Quid sit causa principalis, quid instrumentalis.

I. Prima sententia conceptu cause instrumentalis statuit in operatione prævia.

Primus hac in re procedendi modus est Thomistarum (& non semel insinuat S. Thomas, licet alio sensu explicari possit) instrumentum esse quod aliquid operatur prævisè ad effectum. Verum licet hoc instrumentis fortè naturalibus ut plurimum conveniat: calor enim, antequam cum substantiâ producat substantiam, producit dispositiones aliquas accidentales in subiecto, in supernaturalibus certè locum communiter non habet, nam cum sacramenta (quæ communis est apud Thomistas opinio) producant gratiam, nihil operantur prævisè in animâ ad gratiam. Quod si dicant, ut dicunt, produci motum aliquem localem in aquâ dum quis baptizat, vel in aère, dum sacerdos verba absolutionis profert, motus tamen ille non producitur in animâ, cum nihilominus, juxta S. Thomam, id quod prævisè producitur ad effectum, in eodem subiecto producat ac ipse effectus. Deinde posset Deus uti ipsâ animâ, vel intellectu tanquam instrumento ad producendum gratiam in animâ, & tamen ibi nulla tunc esset prævia operatio, ergo de ratione omnis instrumenti non est prævia operatio.

Impugnatur hæc sententia.

P. Hurt. d. 9. Phy. f. 12. in hoc ait consistere rationem instrumenti, ut illi nulla respondeat formalitas in effectu, & solum concurrat dispositivè, & non immediatè ad illum producendum, causa verò principalis, inquit, est cui aliquid respondet prædicatum, vel formalitas in effectu. Sed contra, si Angelus elevaretur ad producendum Angelum, vel unus actus visionis ad producendum alium, Angelus & visio continerent omnes, vel plures saltem formalitates alterius Angeli, & visionis, & tamen non essent causæ principales, sed instrumentales respectu effectuum productorum, ergo. Circa id verò, quod asserit causam instrumentalem non immediatè quidquam producere in effectu, contra hoc, inquam, est: nam causa instrumentalis est vera causa respectu illius effectus cujus est causa, quod exinde confirmatur, quod instrumenta artis ideo communiter dicantur non esse propriè instrumenta, quia scilicet non concurrunt effectivè, nec producunt, sed solum recipiunt motum, & consequenter nihil operantur propriè, ergo causa instrumentalis censetur vera causa respectu effectus principalis, ergo non solum disponit, nam si solum disponat ad effectum, ergo verè illum non facit. Respectu verò dispositionis quam calor producit, non est causa instrumentalis, sed principalis.

II. Sent. ait causam instrumentalem esse eam, cui nulla respondet formalitas in effectu.

Rejicitur hæc sententia.

P. Suarez d. 17. Met. f. 1. n. 16. 17. & 18. ait causam principalem esse illam, quæ est æqualis vel majoris perfectionis, quàm effectus, diciturque ad illum proportionem: quod addi debet, quia Angelus non est causa principalis alterius Angeli, nec albedo albedinis, & alia hujusmodi, quia scilicet nullam dicunt proportionem & habitudinem ad illa in ratione producentis, & producti, cum non possint invicem se producere. Causa verò instrumentalis est illa, secundum ipsum, quæ vel concurrat ad effectum se nobiliorem, vel ad eum ad quem nullam ex se habet proportionem: sicque effectus, licet non superet subinde instrumentum in perfectione entitativâ superat tamen virtutem ejus naturalem operativam, utpote quam in hunc effectum nullam habet. Prioris exemplum est, cum calor producit ignem, & alia hujusmodi; posterioris, cum Angelus elevatur ad producendum alterum Angelum, albedo ad albedinem, muscam &c.

III. Sent. vult causam principalem esse eam, quæ est æquè perfecta, vel perfectior effectui.

Quid causa instrumentalis.

Juxta hunc ergo modum dicendi, quandocunque aliquid concurrat ad effectum se præstantiorem, est causa instrumentalis, non principalis respectu illius. Imò aliqui hoc extendunt ad cælos, & causas secundas universales, quas dicunt esse causas instrumentales in productione viventium, & omnium effectuum, ad quos concurrunt, ipsis præstantiorum: sicque in hac sententiâ semper debet esse, saltem aliqua causa, vel æquè perfecta, vel perfectior effectui, & quæ elevet cæteras; quæ autem elevat alias, est simpliciter perfectissima.

IV. Major est applicatio prioris sententiæ.

Hanc acceptionem causæ principalis & instrumentalis non ita multis patere difficultatibus fatetur P. Hurtado: eam sequitur P. Arriaga d. 11. Phy. f. 3. & mihi vel ob hoc videtur amplectenda, quod clarum & instrumentis omnibus communem regulam assignet. Quod verò objici posset, instrumenta artis esse entitativè perfectiora formâ accidentali, quam producunt, cum sint substantia ac proinde fore causam

V. Hic modus explicandi causam principalem & instrumentalem est optimus.

Difficultas de instrumentis artium.

nam illius principalem, non instrumentalem: Resp. instrumenta artis nullam dicere proportionem ad formam artificialem: unde ex hoc capite sufficienter ostenditur ea esse instrumenta, non causas principales illius formæ. Præterea, ut supra dixi, instrumenta artis non sunt proprie instrumenta, nec causæ instrumentales, cum non omnino activè concurrant ad formam artificialem, sed ad summum remotè, & passivè, recipiendo scilicet in se, non efficiendo impetum, vel motum localem, ad quem forma artificialis resultat: sicut aqua dicitur agere denominativè per calorem in se receptum.

VI. Volunt alij, non quidquid concurrat ad effectum se præstantiorem, censendum statim esse causam instrumentalem, modò effectus illud petat: sicque aiunt speciem impressam respectu visionis materialis esse causam principalem, & intellectum respectu visionis beatificæ. Secundùm hunc itaque modum dicendi, non erit opus ut una aliqua ex causis sit perfectior effectû, sed omnes simul sumptæ, seu causa adæquata.

VII. Hæc sententia exinde illustrari potest, quòd licet, partiales causæ sint imperfectiores respectu totius effectûs materialiter sumpti, respectu tamen illius formalitatis quæ singulis correspondet, singulæ causæ sunt saltem æquè perfectæ, cum in illâ formalitate præcisè consideratâ nihil reluceat, quòd sit perfectius causâ & in illâ non præcontineatur: ut in visione beatificâ ex.g. si concipiatur formalitas intellectiois præcisè, nihil in eâ apparet quòd intellectus solus producere non possit, cum sic concepta intellectio nil differat à naturali. Et idem est de aliis formalitatibus respectu suarum causarum partialium. Perfectissima autem causa, per se loquendo, erit illa quæ, tribuendo singula singulis, concurrat ad perfectissimam formalitatem in effectû. Illa autem propriè non dicitur elevari, nam licet non possit sine concursu alterius producere effectum illum, non tamen censetur in hoc esse elevata, cum nihil dicatur elevari nisi ab aliquo perfectiore, esto concurrat ad effectum se nobiliorem, & præstantiorem. Hic modus dicendi est acutior præcedente, mihi que satis videtur probabilis.

Illustratur exemplo visionis beatificæ.

VIII. Instrumentum aliud conjunctum, aliud separatum: conjunctum sumitur dupliciter, vel quoad esse, vel quoad causalitatem: instrumentum conjunctum quoad esse dicitur, id quòd aliquo modo unitur causæ principali, vel quoad præsentiam localem, vel quoad contactum physicum, ut ferra, malleus, & alia instrumenta artis, vel demum, & propriissimè, per unionem physicam, ut calor unitus igni.

IX. Instrumentum conjunctum quoad causalitatem est quòd ad operandum requirit concursum principalis agentis: quo sensu dicitur instrumentum non agere nisi motum à causâ principali: unde instrumentum separatum quoad causalitatem propriè dari non potest, cum instrumentum elevari debeat in actu secundo per actionem, & concursum agentis principalis, eo autem ipso quòd hoc fiat, est instrumentum conjunctum quoad causalitatem.

X. Instrumentum separatum quoad esse est, quòd nullo ex tribus superius dictis modis conjungitur causæ principali. Aliqua sunt instrumenta conjuncta quoad causalitatem, & separata quoad esse, ut secundùm aliquos sacramenta, quibus Christus in cælo existens, utitur ut instrumentis ad producendum gratiam in animabus hominum in terris. Alia sunt conjuncta & quoad esse, & quoad causalitatem, ut calor unitus igni & cum eo producens alium ignem.

XI. Ad id quòd hic quæri solet utrùm scilicet causa sit perfectior effectû patet solutio ex dictis. Secundùm formalissimam ergo rationem causæ & effectû.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Atus certum est causam esse nobiliorem effectû; beatius enim est dare, quam accipere, cum hoc indigentiam & dependentiam sonet, illud potestatem & munificentiam. Quo sensu intelligendum est illud S. Augustini dum ait; omne quòd fit, ei à quo fit par esse non potest, nam ignis productus & homo specificativè loquendo, est tam perfectus atque ignis, & homo producens, & ei in perfectione æqualis. Deinde, si sumatur collectio omnium causarum partialium, seu causa adæquata, semper est perfectior effectû, cum causâ primâ in causarum complexione semper includatur, vel saltem æquè perfecta est ac effectus, si mente à causâ primâ præscindatur.

Quoad causam particularem, in modo dicendi Patris Suar. supra relato, debet semper dari una aliqua causa æquè perfecta, vel perfectior effectû. In postremo modo explicandi causam principalem, & instrumentalem, hoc non requiritur. Uterque dicendi modus est probabilis.

XII.

SECTIO III.

Unde dignoscenda sit causa adæquata.

PRIMA opinio est P. Vasq. i. p. d. 43. quem sequitur P. Hurt. hic d. 9. l. 5. & alij, causam scilicet adæquatam desumendam esse penes correspondentiam formalitatum inter causam & effectum, ut nimirum illa censenda sit causa adæquata, quæ vel formaliter, ut in univocis, vel eminenter continet omnes formalitates effectûs: illa verò partialis cui una tantum vel altera in effectû formalitas correspondet. Sic, inquit, ignis cum generali concursu Dei est causa adæquata ignis, oculus cum specie & concursu Dei, est causa adæquata visionis; formalitas enim entis tribuitur Deo, formalitates accidentis, qualitatis, & vitalitatis potentie vitivæ, formalitas demum imaginis objecti tribuitur speciei, unde hæc omnes causæ partiales constant respectu visionis unam totalem.

I. Opinio P. Vasq. de causâ adæquatâ.

Formalitates correspondentia inter causam, & effectum.

Hic philosophandi modus, licet ingeniosè excogitatus sit, nullâ tamen ratione videtur satisfacere, nec certam regulam investigandi causam adæquatam assignat.

II.

Hic modus ingeniosus est, sed difficultis.

Contrâ ergo est primò. Causam adæquatam creatam semper ingreditur causa materialis, & tamen nulla est formalitas in effectû causæ materiali peculiariter correspondens, seu quæ illi soli tribui debeat, & non aliis, ergo non est desumenda ratio causæ adæquatæ penes correspondentiam formalitatum. Major est certa: minor probatur, quando calor educitur ex potentia subiecti, vel nulla omnino formalitas correspondet causæ materiali, vel nulla est quæ non respondeat & causæ efficienti formaliter & materiali, ergo eadem formalitas tribuitur diversis causis.

III.

Impugnatur primò in causâ materiali.

Contrâ est secundò, nam, ut ostendi d. 40. Log. l. 4. nulla potest præscindi formalitas, quæ non sit formaliter ens, ergo formalitas ignis est formalissimè ens, ergo eidem formalitati assignari debet duplex causa, Deus nimirum, cui tribuunt productionem prædicati entis, & ignis cui tribuunt formalitatem ignis, quæ, ut loco citato ostendi, est formalissimè ens.

IV.

Secundò, quòd omnis formalitas sit Ens.

Contrâ tertio, Deus non rationem tantum entis præcontinet, sed omnes etiam alias formalitates, ergo hoc etiam nomine plures causæ respiciunt eandem formalitatem. Conf. non propter formalitates tantum, sed ob alias etiam rationes requiri subinde possunt causæ ad aliquem effectum, sicut requiruntur

V.

Tertio, quia Deus præcontinet omnes formalitates.

runtur variae conditiones, ergo regula haec de formalitatibus non subsistit.

VI. Id solum notaverim, probabile nihilominus mihi videri, quod a nonnullis acerrime impugnari videri, nempe tribuendo singula singulis, formalitatem entis peculiariter tribui posse Deo, seu causae primae in productione omnis effectus. Ratio est, quia sicut vitalitatem ideo tribuimus potentiae vitali, quia valet, est actus vitalis, ergo est a potentia vitali, sic eodem modo valet, est ens, ergo est a Deo: non tamen valet, est ens, ergo est ab igne, aqua, sole, caelo, aut ultima alia re creatâ, cum dentur entia quae a nulla re creatâ procedant, ut materia prima, Angeli, anima rationalis, &c. si autem haec consequentia valeret, est ens, ergo est ab igne, quidquid est ens, esset ab igne.

VII. Causa prima ergo in omni effectu respicit ens, in quantum ens, id est, si nulla alia ratio, vel formalitas esset in re productâ praeter formalitatem entis creati, adhuc requireretur Deus, & hoc est ens ut ens tribui Deo formaliter, id est, Deus peculiari modo respicit praedicatum entis, ut ens est. Deinde, praedicatum entis est primum, cum enim universaliora sint priora, universalissima sunt prima, sed conceptus entis est universalissimus, ergo primus in re quavis reali.

VIII. Cum ergo Deus etiam determinet ad individuationem, tribuetur illi proprie tanquam principio formali primum & ultimum in unaquaque re: sicque optime intelligitur quomodo non solum respectu totius universi, & ut finis & efficiens, sed respectu singulorum etiam effectuum sit Deus A & Ω in genere causae efficientis. Hoc tamen non arguit quin causa omnis respectu transcendentali, qui est physicus & realis, respiciat omnes formalitates cujusque rei, sicut easdem realiter, & physice producit.

IX. In assignatione ergo causae adaequatae non existimo certi quidquam universum statui posse, nec regulam ullam generalem dari, in qua animus plene acquiescat, sed in particularibus casibus videndum quid pro effectu varietate & exigentia censerit rationabiliter possit hic & nunc in productionem rei alicujus influere.

SECTIO IV.

An res aliqua possit seipsam conservare inadaequate.

I. Sermo est de conservatione naturali: sicut enim, ut supra dixi d. 19. l. 1. idem elevari potest ad se, primo instante, secundo producendum, ita & in secundo & subsequenter instantibus elevari poterit ad se secundo conservandum, actione scilicet ab eâ, quâ vel a Deo, vel ab agente aliquo creato prius naturâ eo instante conservatur, dependente.

II. P. Lessius l. 10. de Perfect. Divinis, c. 4. refert nonnullos existimantes, licet res quaedam adeo imperfectae sint, ut conservari nonnaturaliter, nisi ab iisdem causis, nequeant, a quibus primò fuerant productae, quales sunt lux, species intentionales, & hujusmodi: aliae tamen, inquirunt, sunt, ut calor, frigus, albedo, nigredo, colores omnes, odores, & pleraque accidentia & formae substantiales, quae cum a Deo simul cum aliqua causâ secundâ sint productae, postea tamen a Deo solo conservantur, sicque minori conatu ex parte causae extrinsecae, quem proinde conatum partialiter supplent res istae conservatae, & aliquo modo concurrunt ad conservationem sui.

III. Hanc sententiam loco citato doctissime, more suo, refellit P. Lessius, & P. Arriaga d. 9. Phy. l. 6. quam-

vis per se falsa adeo videatur, ut refutatione non indigeat. Quia tamen plerique hodie, Atheniense instar, (qui Act. 7. v. 21. ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi) si quid insuetum aut peregrinum in scholas invehatur, avidè statim arripiunt, nec quàm solidum illud sit, curare videntur, sed, modò aures titillet, oraculi loco habent: huic, inquam, malo ut occurratur, & ne silendo hanc apud probare opinionem videar, eam etiam hic breviter refellam.

Impugnatur itaque primò: prius est esse, quàm operari, operatio siquidem provenit a re existente, nihil enim operari potest nisi quod existit, ut supra ostendi d. 18. l. 3. cum ergo operatio proveniat a re existente, existentia prior esse debet operatione, ergo operatio non potest esse prior existentia, sic enim daretur mutua prioritas, idque in eodem respectu ejusdem. Conf. primò, omnis causa naturâ prior esse debet effectu; quam ob causam fatentur Philosophi non posse idem se primò producere, ergo nec se poterit conservare. Conf. secundò, ut res intelligatur apta ad operandum, intelligi debet extra omnes suas causas, ergo non potest esse causa, etiam inadaequatè conservativa sui, ut est manifestum, sic enim non esset extra omnes suas causas. Conf. tertio, hoc enim a fortiori probant ea omnia quae supra d. 21. contra mutuum prioritatem sunt allata, quae non est opus hic repetere.

Dices primò; probare quidem haec, non posse rem ullam se primò, etiam inadaequatè, producere, non tamen obtinere quò minus res eadem se conservet, jam enim pro aliquo priori res est producta, ergo habet existentiam & prioritatem sufficientem ad operandum. Sed contra, ut aliquid habeat existentiam, & prioritatem sufficientem ad operandum, debet prioritatem illam & existentiam habere eo instante quo operatur, totum enim tempus quod instans illud in quo operatur, praecessit, perinde se habet ad operandum in hoc instante atque, si non fuisset, sicut de praemissis constat respectu conclusionis, quae quantumvis longo etiam tempore in mente fuerint, nisi tamen illo instante in intellectu sint, quo elicitur conclusio, perinde est quoad hunc effectum, ac si omnino non fuisset.

Dices secundò; conservationem hanc, quae res inadaequatè conservat seipsam, non esse effectivam, sed formalem, quae scilicet per suam entitatem resistit formaliter contrariis, eaque ab expulsiōe & destructione ipsius impedit. Contra primò, in quocunque genere causae se conservet, debet pro aliquo priori existere, cum conservare sit aliquid physicum, & reale, ergo pro illo priore debet res existere, ergo & pro illo priori habere causam adaequatam conservativam sui. Contra secundò, resistentia illa est ut res non destruat, res autem, ut supponitur, hoc instante est, ergo non potest hoc instante destrui, ergo frustranea planè est ejusmodi resistentia pro hoc instante. Si autem dicat quis solum existere in instante A ut non destruat in instante B, fateor hoc in aliquibus rebus inveniri, ut in Angelo, sole, & aliis naturaliter incorruptibilibus: sed hoc non est rem seipsam inadaequatè conservare, imò si haec sit conservatio sui, conservaret se adaequatè, cum per se adaequatè petat ut sequente instante non destruat.

Objicies primò, res facilius conservatur quàm primò producit, ergo minore influxu. Contra, hoc non probat rem conservare seipsam, nec inadaequatè, sed non requirit tantum influxum in secundo instante, quantum requirebat in primo. Resp. tamen distinguendo antecedens, res facilius conservatur quàm producit, si eadem circumstantiae permanent,

VI. *multitas Entis iri-buitur peculiariter Deo.*

Hac consequentia valet, est Ens ergo est a Deo.

VII. *Deus in omni re creatâ respicit Ens ut Ens.*

Universaliora sunt priora.

Deus respectu cuius rei A & Ω.

I. *Status quationis.*

II. *Existimant nonnulli posse res aliquas se inadaequatè conservare.*

III.

Multis non quàm vera res sint curant, sed quàm nova.

IV. *Prius est esse, quàm operari.*

Res, ut operari, esse, quàm operari.

V. *Hac probant non solum non posse aliquid se primò, inadaequatè, produci, sed nec conservare.*

VI. *Idem est de conservatione sui in genere causae formalis.*

VII. *Quo facilius res facilius conservatur, quàm primò produci.*

neant, agentis nimirum contraria; quæ impediabant eius productionem, nego antecedens, si circumstantiæ mutantur, hoc est, si agentia contraria vel amoveantur, vel ita debilitentur, ut conservationi rei non obsistant, sicut resistebant primæ productioni, concedo. Unde Angelus, sol, cælum, & similia eadem planè facilitate conservantur, quàm primò producebantur.

VIII. Objicies secundò: lux amoto luminoso statim perit, calor extincto vel amoto igne etiamnum permanet, ergo calor partialiter conservat seipsum. Nego consequentiam, sed hoc in ipsas rerum naturas est refundendum: lux enim sicut momento tota producitur, ita tota momento perit, calor perit solum successivè, sicut successivè producitur. Quemadmodum in naturas rerum refundere debent oppositum hinc sentientes, cur foret miraculum si Deus sine concursu ullius causæ creatæ formam aliquam materialem produceret, & tamen nullum est miraculum quod hoc modo producat animam rationalem. Res ergo diversæ diversas habent exigentias.

Lux sicut momento tota producitur, ita tota momento perit.

Objicies tertio: ex eo quòd ad præsentiam ignis videamus semper ignem produci, colligimus unum ignem alium producere, ergo ex eo quòd amoto igne calorem adhuc videamus persistere, rectè inferimus calorem se conservare, tam enim oculis & experientiæ assensus in uno casu præbendus est, quàm in altero. Contrà, hoc enim probaret calorem conservare se adæquatè, oculis enim, experientiâ, & sensu non cognoscimus Deum ad res creatas concurrere. Resp. ergo ita sensibus & experientiæ fidendum, ut via non præcludatur discursui, per quem sicut cognoscimus Deum cum causis secundis inadæquatè & partialiter concurrere, ita, ubi nulla est causa secunda sufficiens, colligimus Deum res quasdam vel primò producere, vel conservare adæquatè, cum ob rationes supra positas certum omnino sit non posse rem ullam, etiam partialiter se primò producere, aut conservare.

IX. In tantum sensibus credendum, in quantum recte rationi non adversantur.

Hæ sunt præcipuæ rationes quas pro hac sententiâ à suis auctoribus afferri video. Alia plura affert P. Arriaga citatus, & benè refutat. Sed operæ pretium non existimo huic rei diutius insistere.

X.

DISPUTATIO XXV.

De causâ productiva substantiæ.

SECTIO PRIMA.

Variæ referuntur auctorum sententiæ.

I. Prima in hac re sententiâ est Platonis, qui Ideas seu formas statuebat separatas formarum sub-
I. Causam substantiæ statuebat Plato substantiam in communi.

II. Secunda sententiâ est Avicennæ, qui formas quidem accidentales effici à rebus corporeis assererat, ut calorem ab igne &c. formas verò omnes substan-
II. Avicenna distinxit intelligentiam.

III. Tertia celebris est Thomistarum opinio docentium, nullam substantiam creatam immediatè producere aliam substantiam, sed ignem asserunt adæquatè produci à calore, nullo igne concurrente. Sola proinde accidentia asserunt producere substantiam, in virtute tamen substantiæ: imò adæquatam operandi virtutem solis tribuunt accidentibus, & nullam substantiam creatam ajunt respectu ullius effectûs esse immediatè operativam.
III. Alij solis accidentia totam agentis vim tribuunt.

IV. Huic etiam sententiæ ex nostris subscribit Vasq. 1. p. d. 186. Fonf. 5. Met. c. 2. q. 6. f. 3. Rubius tr. 4. de causâ efficiente, qui in secundâ editione videtur mutasse sententiâ. Eidem etiam opinioni favent ex Recentioribus non pauci.

V. Quarta sententiâ est Scoti cum suis, Oceani cum Nominalibus, Durandi cum aliis, quos sequitur P. Hort. d. 9. Phy. f. 3. P. Arriaga d. 11. Phy. f. 2. & 37. P. Oviedo c. 9. Phy. p. 4. & alij, qui totam efficien-
V. Alij solam substantiam dicebant producere substantiam.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

tiam in substantiam tribuunt soli substantiæ, ita ut accidentia ad illam omnino non concurrant, nisi tantum producendo dispositiones.

Quinta demum sententiâ est media, & ait nec substantiæ soli, nec solis accidentibus tribuendam esse productionem substantiæ, sed utraque per modum unius causæ influere immediatè in substantiam quæ producitur. Ignem itaque & calorem simul dicit hæc sententiâ producere ignem, ita Suar. dist. 18. Met. f. 2. Conimb. & alij secuti nonnullos ex antiquis, estque hodie communissima in scholis opinio. Et P. Arriaga nu. 42. fatetur possibile esse accidens quod partialiter producat substantiam. De singulis hisce sententiis aliquid strictim dicendum.

VI. Alij demum substantiam simul cum accidente.

SECTIO II.

An sola accidentia producant substantiam.

Conclusio: Sola accidentia non possunt producere substantiam, hoc est, calor solus non potest producere ignem, si quis aquam &c. sed in substantiæ productione necessariò intervenire debet substantia. Hoc probatur primò ex Aristotele 2. de Generatione t. 53. ubi ait, sicut materia est pati, & moveri, ita forma est agere & movere, ergo censet formam substantialem concurrere ad productionem substantiæ: t. 54. sic habet, præter à facultates, per quas res gignuntur, instrumentarias corporibus attribuunt, utque intereà causam quæ ad formam pertinet, auferunt, ergo censet Aristoteles rationem agendi in productione substantiæ communiter esse ipsam formam. Dices, formis tribui efficientiam ab Aristotele, quia ab illis proveniunt qualitates, quæ operantur. Contrà, hæc non potest dici vera & propria actio formæ, sed remota solum, & radicalis, nec per illam dicitur forma operari, nisi improprissimè, sicut paries dicitur videri, visâ albedine, cum tamen sola albedo propriè videatur, sic in præsentia solum accidens propriè ageret,
C c 3

I. Ad substantiam non sufficiunt, sola accidentia.

Probatur primò ex Aristotele.

lib 8